

Articulus Septimus.

In rixis et tumultibus, qui cum sanguinis profusione fient, reus quinque, vel etiam pro arbitrio Iudicii plures, sed ad summum octo florenos Ungaricales ac laeso expensas et damna, nec non Chyrurgo debitam mercedem solvat. In aliis vero, quae absque sanguinis effusione, vibratis gladiis, sola percussione, ad . . . cum signa vel alio insolentiori modo committentur, florenos Ungaricales medium aut integrum florenum, aut ad summum etiam quatuor; Ansam quoque talium rixarum et tumultuum praebentes, singuli medium vel ad summum tres florenos Ungaricales solvant, ita tamen, ut in arbitrio sit Iudicii reos jam dictarum multarum vices, sicut in tertio articulo pro qualitate personae vel facti, aliis in Corpore suppliciis afficere.

Articulus Octavus.

Post tales autem rixas et tumultus, et si laesa pars ob suam offensionem nullam ad Iudicem conferret quaerelam, nihilominus tamen contra Reos, si Iudicio ob enormitatem facti ita videbitur, ex officio erit inquirendum, ac pro qualitate facti erit procedendum.

Articulus Nonus.

Fornicarii manifesti, uti et ipsae Fornicariae, uinculis in pane et aqua per aliquot dies vel opere publico puniantur. Adulteri vero et raptores Regimini bellico iudicandi ac etiam in corpore castigandi subiiciantur.

Articulus Decimus.

Inobedientes filii, vel etiam gravius in parentes peccantes, a Iudicibus pro gravitate facti carcere vel similibus suppliciis coerceantur, vel etiam si delictum Iudicibus ita enorme videatur, ad regimen bellicum transmittantur; si autem levior sit filiorum culpa, contra illos absque Parentum accusatione Judicialiter non procedatur.

Articulus Undecimus.

Peccuniariae mulctae pro Iudicum et ceterorum Officialium Salariis aliisque Iudicii expensis applicentur.

Articulus Duodecimus.

Profozio ab incarceratis et arestatis personis inposterum non ultra viginti quinque denarios exigere permissum sit.